

De solstitia et aequinoctia conceptionis et nativitatis Domini nostri Iesu Christi et Johannis Baptistae.

Nescio an quisquam ausus sit arcanum fratres ante christi nativitatem intellegere, vel terminasse cursum horarum, dierum ac noctium, per quos solstitia et aequinoctia cognoscere posset, cum Job gloriose in suis passionibus dictum sit: *Et hoc mihi dic inquit an scias cursum solis et lunae*, quae duo utique luminaria ad constitutionem diei ac noctis instituta esse videmus. Quod si ergo tantus vir perseverans in suo martyrio, quodammodo in his redargutus est, quis ille mortalium fuisse, qui adversus gloriam tam eminentis viri haec impudens auderet cognoscere, nisi primum ipse Dominus lucis ac noctis conditor ac discretor, qui per prophetiam sol iustitiae cognominatus est, mundum illustraret, qui pro carnalibus carnalis factus est, et mortalibus. Quasi mortalis visus est, ut posset per suam mortalitatem mortem devincere. Propter quod clamant supernae potestates: *Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?* Haec dicentes contestantur Christum mortem devicisse, ut et nos qui mortui iamdudum tenebamur, exemplo ipsius dignationis immortalitatem caperemus, si tamen omissa tenebrarum opera viam lucis sequamur. Ipse enim est lux nostra, et vera lux, qui veniens in hunc mundum inluminavit corda nostra. Cuius adventum sive passionem non tantum Moyses vel prophetae adnuntiarunt, quantum vero conceptionis et nativitatis tempus ostenderunt. Propter quod ipse Dominus Judaeis dicebat: *Scrutamini scripturas in quibus putatis vos vitam aeternam possidere; ipsae sunt quae testimonium perhibent de me.* Quibus rursum dicebat: *Hypocritae, faciem caeli et terrae nostis probare; quare tempus hoc non probastis?*? Erat ergo et temporis probatio, si eum vellent cognoscere, qui non tantum (ut diximus) adventum ostenderet, quantum conceptionis et nativitatis tempus declararet, si fidem certam in Moyse et prophetis habuissent; quod nec tantummodo ipsius Domini et salvatoris conceptio vel nativitas carnalis ostenderetur, quantum et Johannis praecursoris eius, de quo scriptum est: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.* Qui veniens docebat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Qui et iterum adnuntiabat, dicens: *Qui post me venit, maior me est, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius.* Hic est enim Johannes qui venit ut testimonium diceret veritati, sicut et Christus Dominus dicit: *Vos misistis ad Johannem, et testimonium dixit veritati.* Cuius nativitatem magnificans Deus ipse ait: *Nemo est in natis mulierum maior Johanne Baptista*, cum videamus Abraham, Isaac et Jacob, deinde patriarchas non minimos ab eius dignatione fuisse. Quod si dignatio praeficit, non tamen conceptio vel nativitatis adnuntiatio, quae cum temporibus Christi praedicata est a Moyse et Zacharia propheta, cuius crux sanguinis templi marmora infecta sempiternus vivet. Quem sibi Dominus in testimonium vocat per Esaiam prophetam dicens: *Fac mihi testes fideles homines, Uriam et Zachariam filium Barachiae. Et accessit, inquit, ad prophetissam, et concepit, et peperit filium.* Hic est igitur *Zacharias filius Barachiae, qui occisus est a Judaeis inter aedem et sacrarium.* Inter caetera prophetiae suae indicat: *Ieiunium quartum, et septimum, et decimum erit domui Juda in laetitiam et gaudium, et solemnitates bonas, et dies festos multos, et iocundi eritis, iocunditatem et pacem amabitis.* Quae tria ieiunia numquam a Judaeis servata fuisse invenimus. Non enim aliquando quarta feria ieiunaverunt, aut septima quod dicitur sabbatum, vel decima feria, quae nec dici potest, quamvis et in sabbato ieiunaverunt, non legi parendo, sed opportunae necessitati. Quaerendum igitur erat fratres carissimi, quae essent ista quarta et septima et decima, quorum initium propheta non nominavit, a quo quartum vel septimum vel decimum numeraremus. Et bene quidem propheta pro altitudine spiritus sancti initium ieiuniorum non posuit ut cum de initio ipsorum ieiuniorum quaereremus, simul et virtutem ipsorum inveniremus, et Moysi mandata recenseremus. Satis etenim Dominus ad Moysen de mense Martio testabatur, dicens: *Hic vobis mensis initium mensium, primus erit vobis in mensibus anni.* Quod si ergo ipse est initium anni, iam utique ab ipso quartum mensem Junium numeraremus, et septimum Septembrem, et decimum Decembrem, de quibus Dominus ad Moysen dicit: *Tribus temporibus diem festum agetis mihi.* Quibus et quartum adiunxit, dicendo: *Et diem festum azimorum custodietis; septem diebus manducabitis azima, sicut praecepi tibi in tempore mensis novorum.* Hi sunt menses, in quibus Dominus noster, et Johannes Baptista concepti, et nati sunt, istis quattuor temporibus, id est verno, et aestate, et autumno, et hieme, per quae annus vertens cognoscitur. Et ideo propheta dicit: *Annum*

acceptabilem Domini. Nam rursus Dominus ostendens per Moysen quartum et septimum et decimum ieiunium, menses eos esse dicit in eadem exodo scriptura: *Initium mensis frumentariae, et vindemiae et oleae erit domui Iuda in laetitiam et gaudium et dies festos multos.* Quod utique initium mensis, frumentariae sicut diximus, est mense Martio, unde annus vertens incipit, mensis quarti, id est Junius, qui est initium mensis frumentariae, de quo et Dominus discipulis suis dixit: *Nonne quadrimensum est, et dicitis quia iam messis adest?* Nam vindemiae mensis est September, qui septimus est a Martio. Decimus vero mensis est December, quo mense oleae maturae praemuntur.

Sed quomodo probamus istis quattuor temporibus Christum, et Johannem conceptos et natos fuisse? Sicut et Dominus ipse dicit: *Omnis scriba eruditus similis est patrifamiliae, qui profert de thesauro suo nova et vetera,* ergo quae typice a prophetis dicta sunt, et a Moyse declarata, manifestata sunt in evangelio. Nam temporibus cum Zacharias pater Johannis sacerdotium Judaeorum administraret secundum legis mandatum, et prophetiae Jonae, quam Ninivitis adnuntiavit post triduo subversionem futuram civitati eorum, qui paenitentia acti, Domini misericordiam meruerunt. In cuius nunc memoriam Judaei quotquot annis ieiunium mense Septembri observant, quod metellitum, sive scaenophegiam nuncupant. Propter quod sacerdotes in tempore illo pro peccatis populi, diebus illis secundum praeceptum legis in mense Septembri sacrificia Deo offerebant. Quod cum altari Zacharias obtulisset, non statim sacerdotem se profitebatur, aut idoneum esse qui pro peccatis tam celesti populi precibus dignus futurus esset, sed memoratus est Christum ipsum solum futurum verum sacerdotem, cui pater dixerat: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech,* qui hostiam placabilem pro peccatis omnium solus Deo offert. Et eius adventum scilicet Zacharias precatus est. Quoniam nec temere hoc dicimus quod ex responsis Gabrielis invenimus eum et deprecatum fuisse. Ait enim ei Gabriel angelus: *Zacharia, exauditae sunt preces tuae.* Cuius utique preces exaudiuntur, utique exauditur quod precatur aut desiderat. Tribuit enim Deus potentibus se, quod quis desiderat, aut postulat ab eo, dicente Christo salvatore nostro: *Quis enim ex vobis, inquit, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porrigit ei? aut si piscem petit, numquid serpentem porrigit ei?* Et addidit dicens: *Vos cum sitis nequam, scitis bona data dare filiis vestris, quanto magis, inquit, dabit bona potentibus se pater vester qui in caelis est?* Dabit eis qui eum petunt, facientibus tamen voluntatem eius, sicut Johannes Christi amantissimus in epistula sua complexus est: *Scimus, inquit, quia habemus impetraciones quascumque ab eo postulaverimus, cum praecepta eius observaverimus, et ea quae illi placita sunt in conspectu eius fecerimus.* Tunc ergo Zacharias cum haec precaretur, respondit ei angelus Gabriel: *Zacharia, exauditae sunt preces tuae: ecce Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Johannem, et erit tibi gaudium et hilaritas, et multi in nativitate eius gaudebunt; et erit magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et spiritu sancto replebitur mox, ut exierit de utero matris suae, et multos ex filiis Israhel convertet ad Dominum deum ipsorum, et ipse praecedet ante faciem eius.* Gesta sunt autem haec ante primum annum Tiberii Caesaris, mense Septembri, octavo kalendas Octobris incipiente luna undecima, quando oportebat Judaeos ieiunium scaenophegiae celebrare. Tunc vero post, nono anno Tiberius Caesar tempus, cursumque lunae collegit, et inventum est ipsa die octavo kalendarum Octobrium esse aequinoctium, in quo est inchoatio noctis maior quam lucis. *Illum enim oportet crescere,* inquit, *me autem minui.* Minorata enim fuerat lux a tenebris, cum Judaei secundum legem et prophetiam sacrificia Deo offerebant, in qua et Johannes conceptus est, in qua etiam incusabantur a Domino, dicente Esaia propheta: *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit Dominus: plenus sum holocausti arietum, et pinguedinem taurorum et hircorum nolo.* Haec sunt enim quae ante pro peccatis populi offerebantur, quae iam cessare oportebat, cum Johannes idem Baptista conciperetur. Et ideo Zacharias pater eius sacerdos Judaeorum obmutuit, quia iam cessare et obmutescere oportebat sacrificia eorum, quae pro peccatis populi offerebantur. Veniebat enim solus sacerdos, qui agno solo proprio immaculato sacrificium Deo pro peccatis omnium offerret. Et ideo demonstravit eum Johannes Judaeis: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nam plenissime constat, ideo obmutuisse Zacharium sacerdotem Judaeorum, quia sacrificia secundum legem et prophetiam offerebat. Significabatur enim quod sacrificia eorum iam adveniente Christo, lex et prophetae adimpleti tacerent. Et ideo lex et prophetae usque ad Johannem sunt, qui usque ad conceptionem eius cursum tenuerunt. Caelante ergo se Elizabeth per menses quinque conceptionis, stupens quidnam ei Dominus voluisse in suprema aetate, ut pareret sterilis. Tunc deinde post alterum mensem, id est sexto a conceptione Elizabeth, missus est rursus Gabriel angelus in Galilaeam ad virginem, quae despontata erat viro, cui nomen erat Joseph id est viro iusto. Iam enim destinata erat ecclesia suo sposo viro iusto de quo Johannes dixit: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Quod et David similiter dicit: *Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo.* Post sextum autem mensem conceptionis Johannis, qui est octavo kalendas Octobris, sextus mensis Martius principium

anni, quia princeps et primarius omnium ipso mense conceptus et passus est. De quo et Paulus testatur: *Qui est, inquit, initium totius creaturae, quia in ipso condita sunt omnia in caelis et in terra.* Quem mensem Judaeis Moyses solemnem et paschae futurum sollicite et crebro commendabat, dicens: *Hic mensis initium mensium primus erit vobis in mensibus anni.* Initium enim filiorum Dei de integratione hominum hoc mense concipiebatur. Ex die igitur conceptionis Johannis, octavo kalendas Octobris usque octavo kalendas Aprilis, quando angelus Gabriel ingressus est ad Mariam, et salutavit eam, dicens: *Pax tecum, quae invenisti gratiam apud Deum. Quae auditio hoc verbo conturbata est, et cogitabat intra semetipsam, quae esset haec salutatio; cui dixit angelus: Ne timueris Maria, quia invenisti gratiam apud Deum. Ecce concipes in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Jacob in saecula, et regni eius non erit terminus. Cui respondit Maria: Et quomodo haec cognoscam, cum virum non noverim? Et dixit illi angelus: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi: propter quod is qui nascetur sanctus, vocabitur filius Dei. Tunc Maria fida sermonis dixit: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum sermonem tuum. Fuit igitur, ut diximus, quando haec angelus ad Mariam adnuntiavit octavo kalendas Aprilis, qui et ipse est dies aequinoctialis ad inchoationem lucis. Iam enim detersa caligine mundi, lux in mundum adveniebat, sicut Johannes in epistula sua dicit: *Quia tenebrae transierunt, et lumen verum iam lucet.* De quo lumine iterum in evangelio dicit: *Fuit lumen verum, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Conceptus est ergo Dominus noster octavo kalendas Aprilis, mense Martio, qui est dies paschae, passionis Domini et conceptionis eius. In qua enim die conceptus est, in eadem et passus est. Et ideo Dominus ad Moysen in exodo praeceptum sacramenti tradens dicit: *Non occides super azima sanguinem immolatorum meorum, et immolationis die solemnis paschae. Initia creaturae tuae inferes in domum Dei tui. Non occides inquit agnum in lacte matris suae.* Haec significantia sunt agni immaculati, qui sacrificium Deo offerri habebat, quod in prima pascha conceptionis suae in utero matris non eum oportuisset occidi. Et ideo Joseph, sciens praegnantem esse Mariam, ne tamquam stuprata aut adultera lapidibus interficeretur, clam eam dimittere voluit; ut vero non occideretur agnus immaculatus in lacte matris suae: sed inter haec ascendit, inquit, Maria ad Elizabeth visitare eam post mense sexto conceptionis eius. Tunc et Johannes inspiratus est, et fecit ibi Maria cum Elizabeth menses alios tres. Et sic expletis novem mensibus, in mense decimo peperit Johannem octavo kalendas Julii, qui est nonus mensis a Septembre, et quartus a Martio inchoationis anni, de quo propheta Zacharias dixerat, ieunium quartum esse domui Juda in laetitiam et gaudium. Denique et gavisi sunt, qui interfuerant partui huic. Sed quare propheta de ieunio quarto dixit, et non mense? Quia ieunium erat a malis rebus id quod nasci habebat. Nam Moyses manifeste declaravit menses scilicet cum dicat initium mensis frumentariae. Tunc ergo repertum est esse primum solstitium mundi, quando Johannes natus est, quem diem lampadem appellant. Lampada enim erat luminis Christi, a quo lumen acceperat, cum esset adhuc in utero matris. Quando salutat Elizabeth Mariam, exultavit in utero matris infans: ex ipso igitur die lux minoratur, et nox crescit. Johannes enim in die paenitentiae conceptus est, cumque ab Adam secundum legem carnalia gererentur. Quae enim carnaliter geruntur, non talibus quia *caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem.* Et ideo lux minorabitur in illis. Nam Christus vero, qui in nativitate Johannis iam trium mensium incorruptae vulvae fuerat conceptus, supererant ei, ut et ipse secundum humanam nativitatem suppleret menses novem, alii menses sex. Qui nunc ex octavo kalendas Julias, in octavo kalendas Januarias sunt menses sex. Quibus suppletis novem mensibus, initiante decimo Christus mundo natus est, quando prima censio capitalis humani generis facta est proconsulatum in syria agente Cyrino, id est Domino. Veniebat enim Dominus orbis terrarum, qui de capite nostro censeret. Et ideo sancti viri reges et patres, Sabba venerunt ipsi magi, invitante stella fulgoris, memores scripturae, quae dicit: *Orietur stella ex Jacob et surget princeps de Israhel; venientes in terram Israhel, id est in Judaeam deducti ab stella lucis, in civitate hierusalem requirentes regem suum.* Quem inventum in hospitio itineris, id est in stabulo, praesepio collocatum, et pannis obvolutum, quae fuerunt peccata carnis nostrae. Cui pro tributo capituli sui in sacramenti mysterio obtulerunt, aurum, thus, et myrram. Aurum etenim significat corpus immaculatum, quod igne probatum nihil deperdit. Hii sunt de quibus in apocalypsi dictum est: *Qui vestem suam non inquinaverunt, id est qui carnem suam inviolatam custodierunt, et ideo cum agno ambulant.* Nam thus significat orationes sanctorum. Nam myrra corporis est conditura, quae sunt operum bonorum gesta, quae in postremo corpus et animam hominis custodiunt. Dicit enim in apocalypsi: *Nam opera eorum comitabuntur eos.**

Sed nunc fratres dilectissimi inter haec intuendae sunt temporum qualitates, et gesta morum: et primum a perfidia Judaeorum, qui semper in Deum, et in Moysen contumaces extiterunt. Qui cum a Deo secundum Moysen initium anni mensem Martium acceperint, illi

dictum pravitatis, sive superbiae exercentes, mense Septembri ipsum novum annum nuncupant, quo mense magistratus sibi designant, quos Archontas vocant, in illa solemnitate scaenophegiae sive metellitidem, in quo Johannes conceptus est, quando et lucernas quidem multas accendunt, quod et ipsum Abrahae: significant enim eius conceptionis fuisse diem. De quo Dominus dixit: *Ille erat lucerna ardens et lucens et vos voluistis ad praesens in lumine eius exhilarari.* Sed et vox puerorum frequens auditur dicentium esse lucrum et gaudium. Quod quidem maximum lucrum est, et vitae inventio. De qua consulentes ipsum Johannem milites, et publicani quaerebant, quid agentes possent vitam consequi. Quibus ille insinuans viam veritatis, militibus quidem dicebat: *Neminem concusseritis, neque calumniaveritis, sed contenti estote stipendiis vestris.* Similiter et publicanos hortabatur, ne quicquam amplius exigenter, quam quod eis praeceptum erat exigere. Erat autem et gaudium his ipse Johannes, qui nasci habebat, qui nobis Christum insinuaturus esset, de quo angelus Zachariae patri eius dixerat: *Erit tibi gaudium et hilaritas et multi in nativitate eius gaudebunt.* Sed et tempus est autumni quando Johannes concipitur, quo tempore ager sulcis iam proscinditur, et semini venturo iam praeparatur. In quo mense veteres coloni novis cultoribus cedunt, cessantibus scilicet pristinis tabulis conscriptionis, quae veteris legis fractae tabulae, nova lex novis cultoribus traditur. De qua per Hieremiam Dominus dicit: *Dabo eis illam legem spiritalem, qualem non dedi patribus eorum cum eos deducerem de terra Aegypti.* Illi enim quibus ante vineae cultura tradita fuerat, qui pensiones debitas suis temporibus non exsolverunt, qui insuper missos ad se servos varie vexaverunt, quosdam caedentes, quosdam vero lapidantes, insuper missum a patre filium, et ipsum agnatum esse haeredem patris, existimantes se haereditatem patrisfamiliae eruere, apprehensum filium eius iniuriis turpissimis actum occiderunt. Quare necesse habuit paterfamilias malos male perdere, et in locum eorum alios cultores substituere, qui pensiones debitas suis temporibus persolvant. *Et ideo ex sion inquit, exiet lex, et verbum Dei de Hierusalem: et ipse convertet populum multum, et concidet gladios suos in aratra, et lanceas suas in falcibus,* ut omnis iam bellicae vitae usus necessariae converteretur. Sed et sine dubio manifestatur sacramenti mysterium, quod dicit propheta: *Concidant gladios suos in aratri, cum gladii materies ferrum sit, et aratri lignum.* Quomodo potest ferrum in ligno converti? Quare non potius dixit: Et concident gladios in vomeribus? Sed quia per lignum nobis vita data est, ideo iam cessante pristino bello, nobis ligni mentio fit per aratum, per quod spinae, et tribuli avulsi sunt de cordibus nostris. Terra est ipse homo: semen sermonum Dei percipiet, ut quidam fructum trigesimum, alii sexagesimum, alii centesimum. Nunc post hoc aequinoctium, quod est autumni temporis, respiciet nos et mensis Martius verni temporis, in quo est lucidum aequinoctium iocundum omnibus, qui pigris et somnicolosis somnum oculis desistit, dicente scriptura: *Quousque piger dormis? quamdiu manibus pectus amplecteris? surge, et adtinges Christum Dominum.* In quo iam nautica vox secura Maria fretat, patefacto rubro mare, quod cluserat Pharao, cum magno mugitu doloris submersus cum suo exercitu. Ex quo liberatus Moyses cum suis suaviter catervis celeuma iubilabat, et pro voto populum monebat, dicens: *In mente habetote hunc diem, quo liberati estis de domo servitutis.* Qui neendum liberati sunt, quia denuo eos invaserat opera peccati, ac servitutis Aegypti. Et ideo Dominus dicebat eis: *Et cum vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Iam spe rusticæ gaudes, iam arborum opaca, amissa folia, quae dempserat Adam ad tegumentum pudoris reparas alia: *Quia prodiets, inquit, virga de radice Jesse et flos ex illa virga apparebit.* Iam consummatio est operum ruricolarum, ipsa omnis lex servitutis carnis cessat. Quid dicit Dominus in exodo? *Ex die solemini mensis primitivorum consummabis omnium operum tuorum quaecumque severis in agro tuo.* Posita enim servitiorum lege carnis operata est usque ad Christum, sed mysteria diaboli tetris, et horribilibus indumentis poenam suam luentis, ostentantis vincti catenis. Ex ipsis fuit unus ille qui in monumentis dormiebat, quia iam nascebatur qui eos vinceret. Est iocundus aer per cuius aestum improba caro lassatur, sed et glacie frigida cutis horrescit. Nam et quorum vox auditur dicentium: Exite pueri in campum mense Martio, haec vox vulgaris esse existimatur, sed potius rationabilis est. Credimus enim eodem tempore provocatum esse Abel a Cain exire in campo, in quo occisus est. Et ideo mense Martio octo dies pastores contingent. Sed scriptum est: *Exiit sermo et stetit in campo.* Tunc enim exit sermo in campo, id est in hoc saeculo, cum susceptum Maria per fidem concepit Christum Dominum nostrum. Sed et alios audivi dicentes: Martius in campo, et aliquando: post focum Martius. Et quidem in campo factus est, quando Gabriel angelus in hoc mundo Mariae sermonem intulit, Christum in saeculo nasciturum. Rursus et Martius fuit post focum, quando Dominus ipse mense Martio ad iudicium ductus est: *Et petrus stans post focum calefaciebatur.* Qua enim die conceptus est Dominus, eadem die et passus est. Eadem ipsa dies caena pura fuit, in qua et luna quartadecima occurrit. Conceptus est enim mense Martio octavo kalendarum aprilium die, luna quintadecima fuit, momentissime propter horam passionis suae sustinebat. Unde die festo scaenophegiae dixerat: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam, quia meum tempus nondum advenit.* Noverat enim

mensis solemnitatem, in quo Johannes conceptus est, nam suum tempus conceptionis, et passionis sustinebat, quod recognoscens dixit: *Venit hora, ut clarificetur filius hominis.* Sed nunc dilectissimi post duo aequinoctia, quae sunt duae conceptiones, intendenda sunt et duo solstitia, in quibus duae nativitates continentur: unam quidem diximus Johannis esse mense Junio, id est octavo kalendas Julias, quem lampadem appellant, quo tempore messis tritici caeditur. Ostenditur quod et Johannes, qui eo tempore natus est, et ipse velut messis decollatus est. Qui dicebat de Domino: *Palam ferens in manibus suis ventilabit aream suam: frumentum recondet in horreis, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Circumcisus est igitur Johannes kalendas Julias, id est octavo die, quando migratio fit, ut ostenderetur quia is, qui secundum legem et prophetiam conceptus erat, de quo dictum est: *Lex et prophetae a Judaeis migrabunt.* Sed et Dominus nascitur mense Decembri, hiemis tempore octavo kalendas Januarias, quando oleae maturae premuntur, ut unctio, id est crisma nascatur, quo seges ab herbis extraneis seritur, cum agni balantes nascuntur, vineae falcibus sarmenta amputantur, ut mustum suavitudinis adferant, ex quo inebriati sunt apostoli sancto spiritu: *Quia ego sum, inquit, vitis et pater meus agricola: omne igitur sarmentum in me non adferens fructum, excidetur, et in ignem mittetur.* Sed et invicti natalem appellant. Quis utique tam invictus, nisi Dominus noster, qui mortem subactam devicit? Vel quod dicant solis esse natalem, ipse est sol iustitiae, de quo Malachias propheta dixit: *Orietur vobis timentibus nomen ipsius sol iustitiae, et sanitas est in pennis eius.* Qui et ipse circumcisus est secundum testamentum Dei, quod disposuerat ad Abraham, octava die, id est kalendas Januarias, in quo et ipsa migratio fit. Migravit enim gratia et veritas a Judaeis, quia lex per Moysen data est, nam gratia et veritas per Jesum Christum facta est, in Christo Iesu Domino nostro, qui vivit et regnat cum patre et spiritu sancto per immortalia saecula saeculorum, Amen.